



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Additiones Ad Manuale Episcoporum P. Barthol. Gavanti Congreg. Cler.
Reg. S. Pauli. Pars Secvnda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

ADDITIONES

Ad Manuale Episcoporum

P. BARTHOL. GAVANTI
Congreg. Cler. Reg. S. Pauli.

PARS SECVNDA.

Ad Lectorem.



Esiderauere non pauci, in calce Manualis nostri Episcoporum, Bullas Pontificias, & Sacrarum Congregationum Romanarum Decreta prælo Romano iam data, & in eodem Manuali citata, notataque Asterisco, iisdem ipsis verbis, quibus in vulgus emanauerunt; quippe quæ vel non ad omnes deuenerunt; vel, quia in folijs separatim edita euauerunt; vel quia in Bullario nouo impressa, volumine grandi, incommodè circumferri possunt. Ea igitur selegi, quæ præ manibus Episcoporum haberi debent, & Additionibus eiusdem Manualis addidi, ordine temporum seruato, quo à S. Sede Apostolica prodierunt. Videlicet.

Index Additionum ad Manuale Episcoporum.

1	D e executione Concilij Tridentini contra Regulares.	pag. 210
2	De conseruatoribus Regularium.	210
3	De exemptorum priuilegijs.	212
4	Dubia emanata cum Responsonibus.	213
5	De Conceptione B. V. Mariæ.	215
6	De executione nouorum conuentuum.	216
7	De sollicitatione mulierum in confessione.	217
8	Reuocatio licentiarum loca regularia euigendi.	218
9	Contra malè ordinantes, & ordinatos.	219
10	Definitio quoad imagines nondum Canonizatorum.	220
11	Declaratio de eadem re.	221
12	De celebratione Missarum.	221
13	Dubia de eadem cum Responsonibus.	223
14	Approbatio Decreti pro Abbatibus in Missarum solemnij.	225
15	Reuocatio licentiarum legendi libros prohibitos.	227
16	Decretum de electione Patronorum.	227
	Adiecimus Formulã conficiendi Inuentarij bonorum Ecclesiasticorũ.	227
	<i>Barthol. Ganant, Pars II.</i>	O De

I.

De executione Concilij Trident. contra Regulares non subditos Episcopo, extra claustra notoriè delinquentes: & de pœnis eorum Superiorum illos punire negligentium.

CLEMENS PAPA VIII.

Anno 1596. 23. Febr.

S Vſcepti muneris ratio postulat, vt ea, quæ in Sacro Tridentino Concilio prouidè constituta sunt, ab ijs, ad quos spectat, inuiolate obseruari curemus.

Maturo sane consilio ipsius Concilij decreto prouisum est, vt quicumque Regularis non subditus Episcopo, intra claustra degens, extra ea ita notoriè delinquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo superiore intra tēpus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur, & superior de punitione Episcopum certiore faciat, sin minus ipse à suo item superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.

Verum quia experientia compertum est, interdū in huiusmodi decreti executione nimis remissè procedi, cum enim Episcopus instat, aliquem regularem, eo quo supradictum est modo, delinquentem, à suo superiore puniri, sæpe fit, vt superior regularem delinquentem ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi diœcesim, ex industria impunitum transmittat, atq; etiam ipse aliquando ad alias provincias se conferat, nec vterius super delinquentis excessibus inquirat, & de eius punitione Episcopum certiore reddat. Vnde nec regularis delinquens tunc ab Episcopo puniri potest, cum extra ipsius diœcesim existat, nec superior, qui delinquentē corrigere negligit, officio priuatur.

Nos pro pastorali nostra sollicitudine, præfati decreti executioni, quantum cum Domino possumus, fauere, & præmissis malis, vt par est, opportuno aliquo remedio occurrere volētes, de venerabilium fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium prædicti Concilij interpretum sententia: Motu proprio, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnibus, & singulis cuiuscumque Ordinis, & instituti Regularium, etiam Mendicantium superioribus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis præcipimus, & mandamus, vt iuxta prædictum decretum, quilibet ipsorum, regularem non subditum Episcopo, intra claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo scandalo sit,

Episcopo instante, intra tēpus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniat, ac de punitione Episcopum certiore faciat, & aliàs decretum ipsum, in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterum si superior in regularem delinquentem non animam iuuerit, quinimmo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi Diœcesim, vt præfertur, transmiserit, volumus, & simili motu, atque auctoritate decernimus, vt superior instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac vterius priuationis actiuz, & passiuæ vocis, ad quas à nemine præterquam à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore existen. restitui possit, ipso factò similiter incurrēdis pœnis, ipsum regularem delinquentem à loco ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentem similiter statuimus, vt Ordinarius loci ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinatio loci in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, vt præfertur, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, prædictum Concilij decretum omninò exequi, & in regularem delinquentem seuerò animaduertere possit, & debeat.

I I.

De electione Iudicum conseruatorum pro Regularibus.

GREGORIVS XV.

Anno 1621. 20. Sept.

S Anctissimus in Christo Pater, & Dominus noster D. Gregorius Diuina prouidentia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum moueri, & de voto Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, partim sel. rec. Clem. Papæ VIII. prædecessoris sui vestigijs inherēdo.

Reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascumq; Iudicum Cōseruatorum electiones, nominationes, seu deputaciones tam in vim litterarum Conseruatoriarum iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptā, quam in vim quorumcumque priuilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum, Apostolica auctoritate concessorum, seu alias quocumque Iure, vel titulo hæctenus factas pro quibuscumque Conuentibus, Capitulis, Militijs, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani Congregationibus, Collegijs, Ordinibus, Mona-

Monasterijs, Hospitalibus, aut alijs quibusvis pijs, tam sæcularibus, quàm cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis Regularibus, locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cuiusvis qualitatis, seu conditionis existat.

In futurum verò sanctitas sua hac generali, & perpetuò valitura Constitutione statuit, & decreuit, vt Iudices Conseruatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis rec. Bonifacij Papæ VIII. etiã Prædecessoris sui, quæ incipit: Statutum, ita vt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personarum obtinètes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Concilijs Provincialibus, aut Diœcesanis, iuxta Decretum Concilij prædicti, iudices electi, seu designati sint.

Quodque deinceps litteræ Conseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ superscriptis tantum dirigantur, & si quæ litteræ aliter expediantur, illæ, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

Et nihilominus qui secus, quàm iuxta formam superius præscriptam, Conseruatores huiusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis vti ausi fuerint. Regulares quidè voce actiua, & passiva sint ipso iure priuari, aded vt habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice cõsequi valeant, reliqui verò alijs penitus arbitrio Sanctitatis suæ coerceantur, & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria, ac loca huiusmodi, eorumque personæ, ac bona careant Conseruatore ad annum, itaut illorum causæ interea coram locorum Ordinarijs dumtaxat cognosci, ac diffiniri debeant.

Cæterum vt latius pateat Conseruatorum huiusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Provincialibus aut Diœcesanis quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione eiusdem Bonifacij Prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Provinciale, aut Diœcesanam synodum.

Insuper Sanctitas sua in hæc in parte. Decreto similis recordationis Gregorij Papæ XIII. etiam Prædecessoris sui, statuit, & ordinauit, vt Regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra sex menses à die publicationis in Vrbe præ-

sentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatores iuxta formam superius propositam.

Eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes Acta Curie Ordinariarum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso, quamdiu Conseruatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinarijs conueniantur.

Quodque Conseruatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs, prout iisdem Regularibus, & alijs supra dictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari, nullatenus possint, aut valeant.

Ad hæc statuit Sanctitas sua, vt coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ superscriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in ijs tantum, in quibus rei extiterint; neque extra Ciuitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant.

Si qua verò inter Iudices Conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma Iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.

Quod si qui Conseruatores, siue in hac parte, siue alias quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab Officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint, & pars, quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifacij Prædecessoris, quæ incipit: Hac Constitutione, quàm Sanctitas sua in omnibus, quæ præsentis Constitutioni non aduersantur, innouauit, & innouat.

Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus Regulares, & alij supra dicti in casibus à iure permissis petant, Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus; dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant: videlicet: vt Regulares, & alij prædicti sint actores, non autem rei; vtque agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel ab hæc à iurisdictione sæculari exemptum; atque vt causa, in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem laicus, vt præfertur, eligendus Iudex competens existat.

Sequitur aliud dubium super prædicta Constitutione exortum, cum sua declaratione.

IN Constitutione de Conseruatoribus, edita à Sanct. mem. Gregorio Decimoquinto, ex sententia Sacræ Congregationis Concilij intra cetera statutum est, ut coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidē, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, ita ut memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in ijs tantum, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniurijs, & violentijs, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiciuntur, & proprijs bonis uti, ac frui impediuntur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretū censuit, eiusmodi verbis minime sublata fuisse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniurijs, ac violentijs; dummodo obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innocentijs Quarti, & Bonifacij Octauij relatis in c. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.

C. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

I I I.

De exemptorum priuilegijs circa animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & prædicationem Verbi Dei.

GREGORIVS XV.

Anno 1622. 5. Febr.

SANÈ Tridentina Synodi decretis prouidè cautum est, nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse Confessiones sæculari, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen; si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs Idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

Necnon ut in monasterijs, seu domibus viro- rum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ, tam regulares, quam sæculares eiusmodi curam exercentes, subint immediate in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, uisitationi, & correctioni Episcopi,

in cuius diocesi sunt sita. Itemque ut Episcopi vniuersi sub obestatione Diuini iudicij, & in terminatione maledictionis aternæ in omnibus Monasterijs sibi subiectis Ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ autoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi iniurata est, conseruari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes.

Atque ut regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesijs verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia; contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesijs prædicare præsumant.

Verum quia experientia compertum est, Ecclesiastici regimini ratione postulare, vel decretis eiusmodi aliquid adiungatur: maturâ deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuo valitura Cōstitutione decernimus statui, & declaramus, ut deinceps tam regulares, quam sæculares, quomodolibet exempti, siue animarum curam personarum sæcularium Monasterijs, seu domibus regularibus, aut quibusuis alijs Ecclesijs, vel beneficijs, siue regularibus, siue sæcularibus incumbētem exercent; siue aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrēt præiura Episcopi licentia, & approbatione; siue quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque vlla auctoritate se ingerant: in his, quæ eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, uisitationi, & correctioni diocæsani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subiiciantur. Ad hæc tam regulares, quam sæculares huiusmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorū administrationē Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

Confessores verò, siue sæculares quomodocumque exempti, tam ordinarij, quam extraordinarij, ad Confessiones monialium, etiam regularibus subiectarū, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo diocæsano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & Administrantes bo-

res bona ad eiusdem Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam regularibus subiectarum, pertinentia, siue regulares extiterint, siue seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remedijs cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo, ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut eiusmodi Confessores, atque Administratores amoveant, iisque Superioribus id facere detraherentibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quando opus esse iudicaverit. Ac similiter possit Episcopus, vna cum superioribus regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfatarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absque vlla tam en ipsorum monasteriorum impensa.

Ac demum habeat Episcopus, tamquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam seculares, quam regulares, qui in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesijs suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumserit. Ita ut Episcopi in superscriptis casibus, in prænomatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, ut eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

I V.

Subsequuntur aliquot dubia super prædicta Constitutione exorta.

- 1 **D**ubitatur: An liceat Episcopis visitare Altaria regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, aut loca, ubi in iisdem Ecclesijs alleluatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confessiones personarum secularium?
- 2 An Episcopi possint Regularibus præferre, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alijs illorum privilegia restringere, ac moderari in sacramentis administrandis?
- 3 An facultas Episcopis per Constitutionem *Barth. Gau. Pars Secunda,*

attributa in exemptos tam seculares, quam regulares intelligatur etiam tributa in personas nullius diocesis?

- 4 An eadem facultas competat inferioribus Prælati proprium territorium, ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.
- 5 An per eandem Constitutionem in illis verbis, possit Episcopus vna cum superioribus regularibus quarumcumque Abbatissarum, &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur.
- 6 An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?
- 7 An superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis?
- 8 An Confessiones, quas audiunt superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obrenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne?
- 9 An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum.
- 10 An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterij audire possit?
- 11 An Confessores Regulares extraordinarij semel ad Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro vna vice infra annum ad præscriptum sacri Concilij Tridentini, possint, virtute dictæ approbationis, pluries tanquam Confessores extraordinarij, earundem Confessiones audire absque noua Episcopi licentia?
- 12 Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earundem Monialium Monasteria pertinentium; iisque Superioribus id facere detraherentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quando opus esse iudicaverit: An eiusmodi causam Episcopus superioribus Regularibus significare teneatur.
- 13 An eadem Constitutio qua parte supponit Episcopi iurisdictioni Regulare delinquentes circa personas degentes intra septa

Monasteriorum Monialium, aut circa claustrum, vel bonorum administrationem eorundem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solum in notorijs, & cum scandalo populi?

Subsequuntur declarationes ad supradicta dubia à Congreg. Card. S. Concilij Tridentini Interpretum data, & ab isto, & Urb. VIII. eius successore respectiue approbata.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Constitutionem san. mem. Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs, nequaquam subijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, Episcopo iurisdictioni in his, quæ Sacramento rum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis iidem Regulares delinquant: ac propterea.

AD primum dubium respondit, Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum secularium, nec loca, vbi in iisdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, vel vbi Confessiones personarum secularium audiuntur.

Ad 2. Hac in parte Constitutionem nihil notum iuris induxisse, nec vllam nouam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse. Ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

Ad 3. Censuit eiusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius diocesis.

Ad 4. Non competere.

Ad 5. Ius confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Ad 6. Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus, posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi prius ab Episcopo diocesano idonei iudicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confessionibus San-

ctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episc. examinari, & approbari.

Ad 7. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantum, quæ sponte, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officijs, seu dignitatibus, expleto iam tempore à Constitutionibus cuiusque Ordinis, vel alijs legitimè præfuito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius à diocesano Episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.

Ad 8. Confessiones huiusmodi nullas, atque irritas esse.

Ad 9. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad 10. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium vnus Monasterij ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij.

Ad 11. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum Confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad 12. Non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinquere arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio serè oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad 13. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notorijs tantum, & cum populi scandalo.

Quæ Sacra Congregationis responsa ad se relata sel. rec. Greg. XV. & S. D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbarunt.

A. Card. Caetanus.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secret. Sub-

Subsequuntur alia duo Dubia, ab eadem Congregatione declarata, & à Sanctiss. D.N. approbata.

An Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquijs destinato cum Moniali colloquens, à diœcesano Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri, & puniri possit?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, Posse.
Quam Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus Noster VRBANVS VIII. ad se relata[m] approbavit.

An liceat Episcopo in vim Cõstitutionis Sancti mem. Greg. XV. de exemptorum priuilegijs, punire Regulares qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum respondit. Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque vsque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expressè declarauerit, se vti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt.

Cof. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

V.

De Conceptione B. Virginis Mariæ.

GREGORIVS XV.

Anno 1622. 24. Maij.

Sanctissimus D. N. auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, decretum aliàs editum à fel. rec. Paulo V. eius Prædecessore tenoris sequentis, videlicet.

Sanctissimus Dominus noster post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illu-

strissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpenfa, prouide considerans, quòd quamuis in Constitutione fel. re. Sixti IV. super CONCEPTIONE Beatissimæ Virginis MARIÆ pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à S. Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia Cõstitutione Sancti mem. Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas sua innouauit cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obseruatione, relinquatur vnique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quòd scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, & dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominus ex occasione asseritionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, cõclusionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali cõcepta, oriuntur in populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones. Propterea volēs huiusmodi scãdalis ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præsentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusuis Ordinis, & Instituti regularibus, & alijs quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, etiam si specialis specifica, & indiuidua earum esset necessario mētio faciendā, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à S. Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; Contrafacientes autem eadē Sanctitas sua voluit, & declarauit, subiaccere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis: Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præfenti reperitur, præterquam quoad supra disposita. Vterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet quòd nõ fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressos

O 4 publi-

publicorū actū, & reliquis omnibus supradictę cōstitutiones firmę, & illę remaneant, & exactę obseruentur perinde, ac si p̄sens decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbiq; inuolabiliter obseruari, & non obstantibus in hac parte supradictis cōstitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc suo p̄senti decreto ex eisdem causis uitā scandala, dissensiones, atque discordias in Populo Christiano, quę pari ratione oriri possunt, & vt accepit, in aliquibus Regionibus iam ortę sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuę, extendit, & ampliuit etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandans, & p̄cipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cetero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen, quibus à S. Sede Apost. fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec eivllum profus p̄iudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, p̄terquam quoad in supradicto fel. record. Pauli V. & hoc suo decreto disposita.

Eademque Sanctitas Sua voluit, & expressę mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi decretis non aduersantur, cōstitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pij Quinti, ac Pauli Quinti eius Prędecessorum super Conceptione Beatissimę Virginis firmę, & illibata remaneant, ac exactę obseruentur perinde, ac si huiusmodi decretum non emanasset.

Et insuper eadem Sanctitas Sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatif. Virginis Cōceptione Festum solemniter, & officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quàm curusuis Ordinis, & instituci regularibus mādāt, ac p̄cipit, vt in factos sancto Missę sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publicę, quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vri debeant. Contrauenientes autem Sanctitas Sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & p̄nis contentis in supradictis cōstitutionibus, ac p̄fato decreto suorum Prędecessorum ipso facto incurrent. Et ita decreuit, & mandauit vbiq; inuolabiliter obseruari.

Non obstantibus in hac parte cōstitutionibus suprascriptis, decreto p̄fato Pauli V. cōsuetudinibus etiam immemotabilibus, nec non p̄nibus, & singulis, quę Prędecessores p̄-

dicti voluerunt non obstare, ac alijs quibuscumque in contrarium facientibus.

Volens, & decernens pro obseruatione, & executione p̄sentis decreti, & omnium in eo contentorum, quod cōtra huiusmodi transgressores etiam regulares, cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exotos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticę, quàm secularis, tam Episcopi, & Pręlati Superiores, alique Ordinarij, locorum, quàm hęreticę prębitatis, vbiq; locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerę animaduertant, tribuens eis, & eorum cuiilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac p̄nis coercendi, & puniendi.

Sequitur declaratio supradicti decreti.

Edita Anno 1622. 28. Iulij.

NOS Fratres Ordinis Prędicatorum, quos in visceribus gerimus caritatis, specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, & interdici, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & p̄nis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa laicis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum p̄sentium dumtaxat consequendum; harum ferie absolutes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, omnibus, & singulis dicti Ordinis Prędicatorum Fratribus, vt de cetero in quibuscumque priuatis eorum colloquijs, seu conferentijs, inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum alijs, de materia eiusdem Conceptionis B. MARIE Virginis disserere, & tractare, absque vllō p̄narum in dictis decretis contentarum incurfu liberę, & licitę possint, & valeant, Apostolica auctoritate, tenore p̄sentium, licentiam concedimus, & impartimur.

V I.

De erectione nouorum Conuentuum Regularium.

GREGORIVS XV.

Anno 1622. 17. Aug.

CVM alias fel. rec. Clemens Papa Octauus decreuit, Ordinarios locorum licentiam a nouo Conuentus cuiuscumque, p̄sertim Mendicantium, Ordinis, in Ciuitatibus, & locis eorum ordinarię iurisdictioni subiectis erigendos, impartiri non posse, nisi vocatis, & auditis alio-

aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs intereffe habentibus; & causa seruandis cognita, in eisdem Ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus, sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse constituit. Si verò ab eorum sententijs ad Sedem Apostolicam prouocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea causa pronunciatum extiterit, ac alijs prout in decreto huiusmodi plenius continetur.

Verùm per piæ mem. Paulum Papam Quintum accepto, plerosq; ex Ordinarijs prædictis, fauore, vel nimia exposcentium importunitate ad nouos Conuentus, seu Domus, præter, & contra tenorem prædicti decreti erigendos, plerumq; adduci, quo fit, non habita debita elemosynarum, seu reddituum cuiuscumque Monasterij, Conuentus, seu Domus ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, vt cultus diuinus in eorum Ecclesijs destituatur, ibique regularis disciplina, vt conuenit, conseruari non valeat. Sacra Congregatio Illustrissimorum DD. Cardinaliũ negotijs Regularium præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium huiusmodi reiecerat, tot incommodis obuam ire, eisq; aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti huiusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum inferrentur, pro plenè, & sufficienter expressis habens, viua vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, decretum prædictum, quatenus opus sit, innouat, & in vsum reducit.

Volens, quòd de cætero Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cuiuscumque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacumque Ciuitate, vel Oppido, seu quocumque alio loco nõ erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant; ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu Domorum aliarum Religionum vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum huiusmodi non solum in prædictis, sed etiã in alijs per quatuor millia passuum circumuicinis locis; ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni cõsenserint, vel alijs Ordinarijs locorum constitutis, Religiosos Monasterij, cõuentus, seu Domus regu-

laris sic erigendi, seu erigenda, absq; detrimento Religiosorum in Monasterijs, seu Domibus antea in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & cõgruè manuteneri, & ali posse. Si verò noui Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas huiusmodi instituẽde, erunt nulliq; alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorũ nihilominus diligenter inquirant, ac locorum incolæ, & habitatores, quorũ & consensum requirãt, ac adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, vt præmittitur instituendis cõmodè alere, & manuteneri valeant.

Si verò à decreto, seu decretis per Ordinarios prædictos in causis huiusmodi ferẽdis legitime appellari cõtigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem Sacram Congregationem vnã cum toto negotio principali deuoluta censeatur, appellationeque huiusmodi pendente, nihil innouandum esse, irritumq; & inane quicquid secus super his à quocumque, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuscũq; in contrarium facien, non obstantibus.

Romæ 17. Augusti 1622.

Anton. Card. Saulius.

V I I.

De sollicitatione mulierum in Sacramento Pœnitentiæ.

GREGORIUS XV.

Anno 1622. 30. Augusti.

STatuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singuli Sacerdotes tam sæculares, quàm quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, Regulares cuiuscumque dignitatis, & præminentia, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quacumque illæ sint, ad inhonestas, siue inter se, siue cũ alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue antè, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales, audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel protocare tẽtauerint, aut cũ eis illicitos & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio Sactæ Inquisitionis seuerissimè, vt infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & lo-

corum

eorum Ordinarios omnium Regnorum, Prævinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani in suis quemque Diocæsis, & Territorijs per has nostras litteras, etiã priuatiuè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt super his cõtra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, iuxta Sacrorum Canonum formam, nec non officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, priuilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles, reppererint, in eos pro criminũ qualitate, & circumstantijs, suspensũ ab executione ordiis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuã inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuã, & passiuã, si regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuũ absque vlla spe gratiã, aliasque pœnas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate grauiore pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curia seculari puniendos tradant.

Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiã Dei tam perniciosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cũ difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curia seculari, vt præfertur, ream tradendum esse, pronunciandi.

Non obstant omnibus, quã dictus prædecessor in suis litteris prædictis voluit non ob stare, ceterisque contrarijs quibuscumque.

Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos penitentes, quos nouerint fuisse ab alijs vt supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu vt præfertur tractantes, Inquisitoribus seu locorũ Ordinarijs prædictis: quod si hoc officium prætermiserint, vel penitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt supra; ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpã punire non negligant.

V I I I.

De licentijs loca Regularia exigendi.

VRBANVS PAPA VIII.

Anno 1624. 28. Augusti.

Cum, sicut Nobis innotuit, complures licentiã, siue facultates à nonnullis Romanis Pont. prædecessoribus nostris per diuersos

Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societarum, & aliorum regularium Institutorum Superiores, seu alios eorum nomine, vbique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conuentus, & alia loca regularia, quouis nomine nuncupata, seruata duã taxat Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini decretorum forma, de sola Ordinarij licentiã, seu etiam forsã non seruata forma, & absque licentiã huiusmodi, & contra decreta à Sede Apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi importunis precibus, seu etiam Motu proprio, vel aliã obtentã, & exortã fuerint: Ideitõ Nos, omnes, & quascumque licentiã, ac facultates huiusmodi, litterasque desuper tam sub plumbo, quã in huiusmodi forma Breuis desuper expeditas, eãque tenã etiam veriores, & Dat. præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & inferrentur, pro plenè, & sufficienter expressis; & ad verbum insertis habentes, iustis de causis animum nostrum mouentibus, Motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatã petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris; deque Apostolicã potestatis plenitudine omnes, & quascumque licentiã, & facultates huiusmodi, litterasque desuper tam sub plumbo, quã in eadem forma Breuis expeditas, omniaq; & singula in eis quomodo libet cõtenta, & expressa, etiã quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Dotorum, Conuentuum, & aliorum regularium locorum huiusmodi, quã suum nondum sortitã sunt effectum, tenã præsentium perpetuò reuocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectum prorsus euacuamus.

Præterea Ordinũ etiam Mendicantium, Congregationum, Societarum, & aliorum institutorum regularium Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ceterisque personis, ad quos spectat, in virtute sanctã obedientiã, ac sub priuationis vocis, actiuã, & passiuã, nec non officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, & in alia in futurum obtineã, nec non etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdiciamus, & prohibemus, ne licentiã, seu facultatem per Nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, siue alio quouis prætextu, vel causa, etiam quantumuis priuilegiata, noua Monasteria, Collegia, Domos, Conuentus, & alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorũ licentiã, ac seruata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concil. Trid. nec non Constitutionibus fel. rec. Clem. VIII. quẽ incipit, Quoniam ad institutam; sub Datum Romã apud S. Marcum

Marcum sub Annulo Piscatoris die xiiij. Iulij M. DC. III. ac Decretorum de mandato eiusdem Clementis, nec non san. mem. Gregorij XV. Ro. Pont. prædecessorum de super editorum forma recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibet instituire, seu incepta finire, & absolere audeant, seu præsumant.

Decernentes, præsentis litteras etiam ex eo, quod causæ; propter quas illæ emanarint, expressæ, verificatæ, & iustificatæ, aut quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs, ex quocumque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ins, vel controuersiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quoduis gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse, sed eas, ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tenore quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari, sicque, & non aliter, per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, quauis auctoritate fungentes, & sublati eis, & eorum cuiuslibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignorantèr contigerit attentari.

Quo circa Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per præsentis committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentis litteras, & in eis contenta quæcumque solemniter publicandas, faciant illas, & illa ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compellendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

De male ordinantibus, & ordinatis.

V R B A N V S V I I I .
Anno 1624. 11. Decemb.

Aliàs si quidem fel. record. Clemens Papa Quartus Prædecessor noster volens periculis animarum eorum obuiare, qui vinculo excommunicationis adstricti, aut apostata, seu irregulares, vel aliàs Ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his haberetur noticia, fugientes, se in remotis partibus faciebant ad huiusmodi Ordines promoueri, statuit, vt nullus Episcoporum Italiæ de cetero aliquem vltromontanū Clericum ordinare præsumeret, nisi ab eodem Clemente Prædecessore, vel ab Episcopo, de cuius diocesi traxerat originem, ordinandus, vel in cuius diocesi beneficiatus existeret, per eius parentes litteras causam rationabilem continentes, quare ipsum volebat, aut nequibat ordinare, specialem licentiam haberet, eos verò, quos contra præmissa contigisset ordinari, manere voluit absque spe dispensationis super hoc à Sede Apostolica obtinendæ suspensos; ac ordinantes condigna pœnitentia puniri.

Cum autem non sine graui animi nostri molestia, Nobis innotuerit, quamplures vltromontanos suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad Ordines prædictos dimissorialibus litteris, seu etiam cum titulo patrimonij ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandalo, se promoueri fecisse. Nos innumeris, quæ ex minus canonica Clericorum ordinatione huiusmodi proueniunt malis, quantum Nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, prædictam Clementis Prædecessoris constitutionem, cum omnibus, & singulis in ea contentis approbantes, & innouantes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolice potestatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Italia existentibus tenore præsentium prohibemus, ne quouis prætextu, & ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque quoscumque vltromontanos, & ex quibusvis locis extra Italiam oriundis, non solum ad sacros, sed neque etiam ad minores Ordines, vel Clericalem characterem promouere audeant, seu præsumant, nisi dimissoriales filiorum Ordinorum litteras à nostris, & huius Sanctæ Sedis Nuncijs, seu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & subscriptas

ptas habeant, eorumdemque Nunciorum, seu Collectorum subscriptiones à dilecto filio nostro in Alma Vrbe Vicario in spiritualibus generali similiter examinatae, recognite, & approbatae fuerint; alias promouentes, ad annum ab exercitio Pontificalium; promoti verò, perpetuae suspensionis penam, absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendae, incurrant eo ipso. Insuper promotos huiusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciaris patrimonij titulis scienter sed ad Ordines huiusmodi promoueri fecerint, non solum praedictis, verum etiam maioribus arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis poenis.

Italos verò, si quos imposterum Clericali caractere insigniri, vel ad minores Ordines promoueri ab alieno Episcopo, cum falsis dimissorijs contigerit, etiam si qualitatibus per Conc. Trid. Decretum cap. 16. sess. 23. requisitis praedicti sint nihilominus, sequuta tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori priuilegio minimè gaudere, sed saeculari iurisdictioni, vt antea, plenè in omnibus subiacere, & subiectos esse respectiuè volumus.

X.

De Imaginibus nondum Canonizatorum
à Sede Apostolica.

V R B A N V S V I I I.
Anno 1625. 13. Martij.

Sanctissimus D. N. sollicitè animaduertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martij fama, vel opinione defunctis, qui, & si neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamè Imagines in Oratorijs, atque Ecclesijs, alijsque locis publicis, ac etiam priuatis, cum laureolis aut radijs, seu splendoribus proponuntur, miracula, & reuelationes, aliaque beneficia, à Deo per eorum intercessionem accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra, tabellae, imagines, & res aliae ad beneficia accepta, testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur.

Volensque proinde huiusmodi abusus, pro debito officij pastoralis, occurrere, re etiam cum Illustriss. & Reuerendis. DD. Cardinalibus, contra haereticam prauitatem in vniuersa Republica Christiana generalibus Inquisitionibus communicata, & mature considerata, ac discussa, declarauit, statuit, & decreuit, ne quorumuis hominum, cum sanctitatis, seu

martij fama (quantacumque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque praedicta, & quodcumque aliud, venerationem, & cultum praefereens, & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesijs tam saecularibus, quam regularibus, cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede Canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quae appositae sunt) amoueantur, pro eas statim amoueri mandauit.

Ac pariter imprimi de cetero inhiuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, seu Martyrij fama, vel opinione (vt praefertur) celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quaecumque beneficia tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentibus, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet: Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supra dicta, quae in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi, impressa sunt, nullo modo approbata censerit vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam, ac inhiuit, Tabellas, atque Imagines, ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque excultas appendi; aut affigi, & lampades, siue alia quaecumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omninò, pro vt supra facienda, Sedique Apostolicae referenda, ac probanda.

Declarans, quòd per supra scripta, praedicta re in aliquo non vult, neque intendit ijs; qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarij, coluntur.

Vt autem praemissa diligentius obseruentur, vniuersis, ac singulis, tam Ordinarijs, quam haereticæ prauitatis Inquisitoribus districtè praecipit, vt in sua quisque Diocesi, vel Prouincia sedulo peruigilet, ne sine approbationibus praedictis, Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia praedicta publicentur, aliaque contra superius disposita fiant.

Transgressores verò si Regulares fuerint, priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuae, & passi-

passiua, necnon & suspensionis à diuinis si uerò Clerici sæculares, priuationis pariter suorum officiorum, suspensionis à diuinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum ordinum respectiue, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

Qui autem libros impreserint, aut Imagines pinxerint, sculperint, seu quoquo modo effinxerint, vel formauerint, ceterique Artifices circa præmissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniarijs, aliisque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur. Contrarijs quibuscumque non obstantibus.

X I.

Sequitur declaratio prædicta prohibitionis.

Postmodum uerò idem Sanctiss. D. N. à quibusdam reuocari in dubium accepit. an Tabellas, & Imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conseruare liceret, Sanctitas Sua, quæ rãtummodo uoluit, occurrendo abusibus, qui irrepere uidebantur, certiotem parare, uiam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam diuinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re prius cum Illustris. & Reuerendis. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus communicata, præfenti Decreto declarauit. Quòd sicut nunquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque Tabellarum, & Imaginũ huiusmodi, ita, ut nulli deinceps hæsitati locus relinquatur, statuit in præfentiarum, & decernit, ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locum uè aliũ publicum, sæcularem, seu regularem Tabellas, & Imagines, aliud uè simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, uel Beatos non adscriptorum, quamuis, cum martyrij, uel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetrauisset dixerit, liceat Ecclesiasticis personis, Ecclesiarum, locorum uè prædictorũ curæ Præpositis, Tabellas, & Imagines, siue pictas, siue ex quauis materia factas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque, qui consensu fuerint attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinarijs, ad quos referre statim omnia teneatur, in secreto, aliquo seorsum ab Ecclesia, loco custodite, ibi, & que iam amora collocare, & asseruare, ut si quando Dominus talium uirorum merita Beatificatio-

nis, seu Canonizationis honore in terris decorare uoluerit, extent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes, à postolica Sedis iudicio tunc examinandæ, Contrarijs quibuscumquenon obstantibus.

Io. Antonius Thomafius S. Rom. & uniuers. Inquisitionis Notarius.

X I I.

De celebratione Missarum.

V R B A N V S V I I I.

Anno 1625. 21. Iunij.

Primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diocæsana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, uel alijs quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarũ, aut post idẽ Concilium imposita, aut in limine foundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, uel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones moderations, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas atque inanes decernit.

Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitalis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuscumque tam sæcularibus, quàm regularibus, Sacra Congregatio sub obestatione diuini Iudicij mandat, ac præcipit, ut absolucè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ elemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi nõ satisfaciãt, quinimò grauitèr peccet, & ad restitutionẽ teneãtur.

Id uerò ut deinceps obseruetur exactius, & Sac. Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tam sæcularibus, quàm regularibus, cuiuscumque Ordinis Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, uel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurimum Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere uolens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandã cum certa ele-

mo.

mosyna, ne eandem Missam alteri parte eiusdem elemosynæ sibi retenta, celebrandum committat.

Præterea, ne in Ecclesijs, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi: cù nulla, aut parua sint utilitate coniuncta; statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tam secularibus, quàm regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes eadem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis eum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc Sacra Congregatio quibusuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam secularium, quàm regulariũ Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, sæculares quidem sine Episcopi, vel eius generalis Vicarij, regulares vero sine Generalis, vel prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin secularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiua, ac passiva, absque alia declaratione incurrat.

Elemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iisdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut noua quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi elemosynis, etiam sponte oblati in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa, Elemosyna pro Missis, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendi, ne fideles hac ratione frustrentur,

Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirat de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuiq; Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pro incumbendis; nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitime constiterit, illius Sacerdotes tam nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse; præcipuèque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesijs, & locis pijs relinquuntur, omnino respondeant oneribus adiunctis, secundum morem cuiusq; Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantq; si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in nouissimo die se huius prætermissi muneris ratione esse reddituros.

Postremò Illustr. Patres, non sine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regulariũ numero, quàm in ferant redditus, & elemosynæ cuiusque Monasterij; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sac. Trident. Concilij decretis hæc de re editis. Sanctissimi D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscumque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac Domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatoribus, & rerum vsu peritoribus, bona immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item elemosynas, & obventiones, tam communes Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas, in communem vsum, deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, ijs omnibus detractis, quæ reparaciones, præstationes, grandines, sterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera consumuerunt absorbere.

Eaq; omnia scripto fideliter exarata, idem superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipso met Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, elemosynis,

synis, & obventionibus vniuersis, & oneribus, vt supra, detractis, sedulo examinent, quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, alijsque necessarijs seruientibus, in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo regulari iuxta regionis, & proprii Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum, reddituum, elemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familie, Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis in singula quaque Prouincia certus earum tantum personarum numerus, Patrum Capitularium voto, præfigatur, que redditibus, elemosynis, & obventionibus, vt superius, sufficienter ali possint.

Ne verò Superiores, qui id præstare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sac. Congregatio, vt infra annum, post proximum Capitulum generale, vel prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Sacram Congregationem Concilij singuli mittant.

Numerumque familie, singulorumque Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel prouincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Prouinciales omnes, quam locales perpetuo seruare omnino teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, absque Sacre ipsius Congregationis licentia, Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præfiterint, vel numerum, vt supra præscriptum, quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, que tunc temporis obtinebunt, vocisque actiue, ac passiuæ, & ad omnia sue Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apostolica infligendis Sacra Congregatio subiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi, præter alia ad id requisita in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis elemosynis, detractis omnibus, vt supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim

Religiosi, vt supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint. Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porro, ne vilo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem habeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur sub poena priuationis officij, vocisque actiue, & passiuæ, ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Aduentus, & feria sexta post octauam Corporis Christi præsentis ordinationes in publica mensa perlegantur.

Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cuiuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quam laicis quocumque honore, ac potestate, præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

X I I I.

Sequuntur dubia, ac declarationes aliquot super prædictis Decretis.

Super primo Sacre Congregationis decreto, de Celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alijs quoquo modo, reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine foundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, vt non sit, qui velit onus illis iniunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatone oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari?

Secundo, super secundo eiusdem Congregationis decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tribuæ elemosinæ, præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, an cum Ordinarius præscripserit elemosinam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerentes præscriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem elemosinam, pro Missis votiujs, aut defunctorum recipere, & vnico Missæ sacrificio vnique oneri satisfacere?

Quin-

Quinto, Postea, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro eius anima centum Missæ, absque vlla præscriptione eleemosynæ: Queritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi benè visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præ scribenda sit ab Ordinario?

Sexto, super Tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgeret, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Queritur, An verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Priuilegium?

Septimo, super quarto eiusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Queritur, An permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis maintenance Ecclesiæ, Altarium, inseruientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similibus?

Octauo, An hoc decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, id est, An Rector Beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficij?

Decimo, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt: An verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Vndecimo, super quinto eiusdem Congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba (eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis) ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut noua quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblati, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Queritur, An hoc decretum prohibeat absolute, quò minus accipiant nouas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisficere?

Duodecimo, quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cum primùm poterit?

Decimotertio, An pœna interdicti, & aliæ apositæ in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi

præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, ut ibidem præcipitur?

Decimoquarto, At in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgo dicuntur (Casse de Morti)?

Decimoquinto, An Administratores Ecclesiæ magnæ deuotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & deuotio, ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

Decimosexto, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directæ solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam secularium, quàm regularium, Superioribus, de quibus sit expressa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehenduntur sub clausula generali (& alijs, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione?

Decimosextimo, super septimo eiusdem Sacræ Congregationis decreto, quo cauetur, ut in singulis Monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possint sustentari.

Queritur, An vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim similis decreti san. mem. Pauli V. absque tamen computatione reddituum cuiusque religiosi, sit denuò facienda, necne?

Decimo octauo, An nouitij, ad habitum regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus, habita ut supra, præfixione numeri, commodè ali non possunt?

Decimonono, super vltimo, quo cauetur, ut nullibi recipiantur Conuentus regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint iurisdictioni ordinariæ.

Queritur, an hoc decretum, quòd videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueuerunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis IESV?

Vltimo, An idem decretum, vbi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proximè autecedens, an verò etiam extra Italiam?

Subsequuntur Declarationes, seu Responsiones
ad supradicta Dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à Sanctiss. D. N. attributa, ad singula dubia superioris proposita, ad hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum, etsi legatum sic aded tenue, nihilominus pro reductione oneris, vt supra impositi, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque vlla impensa id statuet, quod magis in Dño è re esse iudicauerit; Verùtamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, vt liceat Episcopo in iunctu, onus reducere, ac moderari, legem hanc foundationis, quàm decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario, Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad Tertium, teneri.

Ad Quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadè Missa vtriq; obligationi satisfacere.

Ad Quintum, censuit, vbi nullã certam eleemosynã testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad Sextum, Ita esse intelligenda.

Ad Septimum, respondit, permittendum nõ esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam, vtrumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi eum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsu earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt, & xpenis vt supra deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad Octauum non habere locum, sed satis esse, vt Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem

Barth. Gau. Pars Secunda.

Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad Decimum, debere absolutè integrã eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad Vndecimum, respondit, non prohibere absolutè: Ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Duodecimum, quamuis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynã pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, vt ille tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiantur pro ipsdem Missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad Decimum tertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad Decimum quartum, comprehendit.

Ad Decimum quintum, Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, vt supra in responsione ad Duodecimum.

Ad Decimum sextum, comprehendit etiam priuatos Sacerdotes.

Ad Decimum septimum, numeri præfixionẽ esse iterum faciendam seruata forma vltimã decreti hac de re editi.

Ad Decimum octauum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos vbi cõmodè ali possint.

Ad Decimum nonum, censuit comprehendere.

Ad Vltimum, habere locum etiam extra Italiam?

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Cong. Secr.

X I V.

De vsu Baldachini, & Ministrorum pro Abbatibus Cassinensis Congregationis.

V R B A N V S V I I I.

Anno 1629. 11. Iulij.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dominicus Pinellus Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congr. Casinens. aliàs S. Iustinae de Padua Procurator Generalis, quod

P aliàs

aliàs à Veñ Fratibus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris Ritibus Præpositis, emanauit Decretum tenoris subsequen, videlicet, Cum aliàs de Anno 1606. sub die 28. Ianuarij Sacra Rituum Congregatio, instante Archiepiscopo Firmàn, interdixit Priori S. Catharinæ Ordinis Canonorum Regularium, in eorum Ecclesia vsum aliquarum caremoniarum, & de Anno 1617. sub die 18. Martij illud Decretum ad instantiã b. m. Card. Caraffæ Archiep. Neapolitanæ extēderit ad omnes Priores, & Abbates cuiuscumque Ordinis etiam Casinē, ab hoc decreto reclamauit Procurator generalis Casinē, & ad S. Cong. recursum habuit, asserens, suam Congregationem indefensam fuisse, & re matutē, ac diligenter discussa, referen b. m. Card. Lancellotto, S. Congregatio de Anno 1618. sub die 12. Martij, cēsuit, quod ad vsum Baldachini, & quorundam Ministrorum in alijs decretis prohibitorum, recedendum esse à prædictis Decretis de Annis 1606. & 1617. emanatis, & licere iisdem Abbatibus, quando solemniter celebrant, vt Baldachino, & apparatu iuxta eorum antiquissimam consuetudinē, ita tamē, vt modestē cū debita convenientia, sine pōpa, & auro atq; in tribus ad summum festiuitatibus quolibet anno vtantur, prout in dictis Decretis latius continetur; Nunc demum Archiepiscopus Florentinū ad S. Congregationem accedens instetit prohiberi Abbatibus S. Mariæ eiusdē Ciuitatis Florentinæ Ordinis Casinē vsum Baldachini, & dictorum Ministrorum, & aliarum multarum caremoniarum in dedecus, & præiudicium suæ Archiepiscopalis dignitatis vergentium, & citato, & interueniente Patre D. Dominico Pinello eiusdem Congregationis Casinensium Procuratore Generali, & partibus sæpe ac sepius auditis, ac negotio diligenter discusso, referente Illustris. ac Reuerendiss. D. Cardinale Pio, Eadem Sacra Rituum Congregatio inhazendo dicto vltimo Decreto factō de Anno 1618. censuit, & declarauit licere Abbatibus Casinē quando solemniter celebrant, quod in tribus ad summum festiuitatibus facere eis permittitur, vt Baldachino, sine auro tamē, & pōpa, & aliquibus etiam Ministris paratis sacris indumentis. Quia vero numerus horum Ministrorum in aliquibus eorum Monasterijs, erat valdē excessiuus, venit, ac prohibuit, ne iidem Abbates solemniter, vt supra celebrantes, alios possint habere Ministros sacris indumentis paratos, quàm duos Diaconos, & Presbyterū assistentes, Diaconum, & Subdiaconum pro cantandis Euangelio, & Epistola, ac sex ad summum alios, duos cum Pluualibus, duos cum Planetis, & duos cum Tunicellis coloris tem-

pori convenientis: quoad reliqua verò in dictis Decretis de Annis 1606. & 1617. emanatis contenta, S. Congr. eadem Decreta confirmat, & quatenus opus sit, innouauit, inhibens omnibus Abbatibus Casinensibus, ac seriō precipiens, vt in reliquis omnibus ea ad vnguem, inuiolabiliter obseruent; eorumque dispositioni addidit, vt supradicti Abbates nullo modo debeant, nec possint habere, nec tenere sedem suam Abbatialem fixam, & permanentem prope Altare, vt sedes Episcopalis retineri consuevit, minusque liceat supradictis sex Monachis paratis, vt supra, sedere in sedibus Choralibus, vt Canonorum sæcularium mos est, sed Sedes pro Abbate solēniter pro celebrante retineatur in Ecclesia, ijs tantummodò tribus diebus, quibus ipse Abbas solēniter celebrat; dictiq; sex Monachi parati sedere debeant loco congruo iuxta Ecclesiarum convenientem situm super scabellis ad hunc effectū tunc appositis pāno laneo cooperitis, die 29. Ian. 1618.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Dominicus prædictus plurimum cupiat præinsertum Decretum huiusmodi, quod firmitus subsistat, & inuiolabiliter obseruetur, Apostolica nostræ confirmationis robore cōmuniri; Nos eius votis huiusmodi, annuere, illumq; specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolutes, & absolutum fore cēfentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum Decretum huiusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiq; inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus: ac omnes, & singulos, tam iuris, quàm facti, & quosuis alios defectus, si qui desuper quomodolibet interuenierint, aut interuenisse dici, vel cœferri possent, supplemus.

Decretumque huiusmodi, nec non præsentem litteras cum omnibus in eis contentis semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Congregationi, illiusque Abbatibus, ac Monachis, & personis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, neque illos à quoquam quauis auctoritate super præmissis quouis modo, impediri, molestari, inquietari, vel perturbari unquam posse, nec debere.

X V.

De lectione librorum prohibitorum.

V R B A N V S V I I I .
Anno 1631. 2. Aprilis.

MOtu proprio, & ex certa sciētia, ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolicę potestatis plenitudine, Omnes, & singulas licēcias legendi, & habēdi libros quoscumq; ob hæresim, vel falsi dogmatis suspiciōē, seu per constitutiones Apostolicas, etiā ratione Astrologiæ iudiciarię, vel alijs quomodolibet prohibitos, quibuscumq; personis laicis, & ecclesiasticis, tam secularibus, quàm regularibus cuiuscumq; Ordinis, Societatis, & Instituti existentibus, ac quacunq; dignitate, etiā ecclesiastica fulgentibus, cuiuscumq; status, gradus, cōditionis, qualitatis, & præminentię, etiā speciali nota, & mentione dignis, ac per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocumque, & ex quacumque causa, tam in forma Breuis, quàm aliter quomodocumque à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscumq; alijs à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus non tamē à Nobismetipsis per litteras Apostolicas etiā in forma Breuis, seu Chirographū manu nostra signatum, cōcessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostra perpetuò valitura constitutione, reuocamus, cassamus, & annullamus, ac pro reuocatis, cassis, & annullatis haberi, nullique suffragari.

Quinimodò libros per licēcias huiusmodi permisos legentes, aut habētes, penas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Iudiciis librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.

X V I.

De electione Sanctorum in Patronos.
Anno 1630. 23. Martij.

Sacra Rituum Congregatio, Annuente Sanctissimo D. N. In electione Patronorum mandauit infra scripta in posterum seruari debere, declarans, quod aliter facta electio nulla sit ipso iure.

Primò, quod eligi possint in Patronos ij solum, qui ab Ecclesia vniuersali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

Secundò, Quod de Patrono Ciuitatis electio fieri deberet per secreta suffragia à Populo mediante Consilio generali illius Ciuitatis,

vel loci, non autem ab Officialibus solum, & quod accedere debeat consensus Episcopi, & Cleri illius loci.

Idemque seruari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia à Populo singularum Ciuitatum Prouincię.

Et quod Representantibus Regnum, Ciuitatem, Prouinciã nulla competat facultas, eligendi Patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, & vterius interueniat consensus Episcopi, & Cleri dictarum Ciuitatum.

Et Tertio, Quod causa electionis nouorum Patronorum debeant in Sacra Congregatione deduci, & ab ea examinari, ac demum causa cognita ab eadem Congregatione approbati, & confirmari.

Et ne præmissorum ignorantia vilo vnquam tempore possit allegari, eadem Sacra Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi, & publicari mandauit.

Io. Bapt. Card. Detus:

Loco † Sigilli.

T. Tegrinius Secr.

Formula conscribendi Inuentarij Bonorum Ecclesiarum.

Scribatur ab vnoquoque Ecclesiastico per manum Notarij, si fieri potest, & ab eodē Notario subscribatur, alioquin scribat ipsemet Ecclesiasticus, & subscribat, coram Sindico, seu Massario, aut alio officiali loci, in quo sunt bona, vel saltem coram duobus loci senioribus peritis, qui & ipsi subscribant, si Notarius desit. Quod si scribere nesciant, alij eorum nomine tanquam rogati subscribant, & ad Cancellarium Episcopalem accedant pro recognoscendis eorundem caracteribus.

Cancellario detur ob hanc causam conueniens stipendium, taxatum ab Episcopo.

Inuentaria omnia prædicto modo exarata dentur Archinistę Episcopali, à quo, qui dederint, de accepta scriptura testimonium in scriptis recipiant.

Duo exemplaria fiant vniuscuiusque Inuentarij, quorum alterum in Archiuo Episcopali, alterum penes Rectorem beneficij tuto custodiatur.

Fiat autem Inuentarium bonorum cuiusque beneficij, licet Ecclesię fortasse fiat vnica, vt appareat distinctè, quę bona sint vnius, & quę alterius.

Charta vniformis adhibeatur ab omnibus, vt in librum redigi possint Inuentaria iuxta varios titulos, seu partes Diocesis: & item nume-

P 2 rus

rus foliorum abundetum, vt Cancellarij sub-
scriptione muniti possint; tum vt addi possint
alia, quæ in dies addi cõtingerit. Margines quo-
que laudateant per singulas paginas, vt in fine
subditi possit ratio numeri rerum, vel pretio-
rum, vt sic in libris Mercatorum.

Ordo scribendi hic erit.

In nomine Domini, Amen.

Hoc est Inuentarium omnium bonorum
mobiliũ, stabiliũ, & se mouentium,
fructuum, reddituum, rationum, & actionum
quarumcumq; Ecclesiæ Parochialis. S. N. Ciui-
tatis N. seu oppidi N. Diocesis N. vel Ecclesiæ
S. N. si non est Parochialis Ciuitatis, seu oppidi
N. factum die mensis Anni per D.
N. Rectorem dictæ Ecclesiæ, & me Notarium
publicum infra scriptum in domo dictæ Ec-
clesiæ, coram, & iuxta relationem, & asser-
tionem præfati D. N. Rectoris, & etiam N. & N.
Seniorum hominum peritorum, & qui bene
norunt statum dictæ Ecclesiæ, medio iuramen-
to per me Notarium infra scriptum eisdem da-
to, vt dicant, & affirmant pro veritate, &c. qui
dicunt nihil aliud ad dictam Ecclesiam specta-
re, nisi quæ sequuntur, videlicet.

*Quod si à Rectore fiat inuentarium sine Nota-
rio, dicat.*

Hoc est Inuentarium &c. per me N. N. mo-
dernum Rectorem dictæ Ecclesiæ coram
N. & N. Syndicis, seu officialibus dicti loci, peri-
tis, & de statu dictæ Ecclesiæ plenam habenti-
bus notitiam, qui & asserunt bona omnia, &
actiones, & iura hæc esse: videlicet.

*Facto hoc proæmio describatur primo Ecclesia
cum suo titulo, situ, finibus, & partibus:
hoc modo.*

Prædicta Ecclesia S. N. est in Ciuitate N. vel
oppido N. penes viam à latere dextro, vel
sinistro, apud bona N. ab alio latere &c.
In ea sunt Altaria, seu tot capellæ,

*Exprimantur tituli altarium, seu nomina San-
ctorum, cum dotibus eorum, nimirum.*

Primum, Altare maius nullum habet titu-
lum, nisi quod est Ecclesiæ totius. Habet
annexam obligationem tot Missarum, quori-
dianarum, seu tot per omnem hebdomadam,
seu quolibet mense &c. prout constat ex Instru-
mento rogato per N. publicum Notarium
die . . . mensis . . . Anni . . .

*Scribantur omnia mobilia, & immobilia bona
cuiusque Altaris, seu Capellarum, eo ordine,
quo Altaria extant in Ecclesia. Tum verò
omnia mobilia sacra, & non sacra, qua ha-
bentur in Ecclesia, & Sacristia, adnotata
qualitate rei, pondere, numero, & pretio.
Verbi gratia.*

Casula alba ex Damasceno serico cum
filamentis aureis &c.

Duæ casulæ rubei coloris ex camelotto.

Calix argenteus, seu cum cuppa argentea, &
pede ex aurichalco inaurato, ponderis libra-
rum, & unciarum &c.

Mappa lunga cubitorum tot: aliæ mappæ mi-
nores tot vlnarum.

*Si pondus haberi non possit, putà campanarum
scribatur pondus librarum circiter, vel de-
scribatur altitudo, crassities, cum litteris in
gyro positis, & notis impressis in campana.*

*Ordo ille seruetur, qui congruentior videbi-
tur, scilicet à nobilioribus, Aureis, argen-
teis, sacris &c.*

*Facta descriptione Ecclesiæ, describatur domus
Rectoris, qua sit Ecclesia, cum mobilibus pro-
prijs ad vsum Rectoris, ex titulo Rectoris: id-
est.*

Domus pro habitatione Rectoris coniun-
cta est cum Ecclesia, fines illius sunt, ab
vno latere Ecclesiæ, ab alio domus N. seu via,
&c. Cellæ sunt num. partem habitat
Rector, aliam partem locat laicis pro pretio
seutorum annuo.

*In descriptione stabiliũ bonorum scribantur
prius domus, & apotheca cum pretio locatio-
num annuo, & earum finibus.*

*Deinde prædia cum proprijs vocabulis, finibus,
& mensuris, hoc modo.*

Prædium habet in loco nuncupato N. quod
coheret viæ publicæ ab vno latere, ab
alio, &c. tot mediorum, seu perticarum &c. pro
more regionis. Annuus eiusdem fructus solet
esse seutorum

*In Margine scribatur quantitas, seu numerus
mensura 3. quæst. 1. oia qd dicitur*

Datum est in tertiam generatõnem, ad
annos 29. seu donec N. vixerit, & quo-
tannis Rector habet tritici modios . . . seu vi-
num, seu nummos . . . vt constat ex Instru-
mento rogato per N. Notarium die . . . men-
sis . . . Anni . . .

Bona

Bona data in emphyteusim, pro quibus soluitur canon pro recognitione directi Dominij, scribantur eo modo, quo sunt descripta apud emphyteutas, vel hoc modo.

N. N. possidet in tertiam generationem, in annos 29. seu donec vixerit, seu domum, seu prædium situm in . . . & definitum varijs finibus, nempe . . . pro quo soluit annuū canonem dictæ Ecclesiæ in recognitionem directi dominij solidorum, seu librarum, seu scutorum

De censibus hoc modo.

P Rædicta Ecclesia habet censum perpetuum scutorum . . . super prædium, seu domum in tali loco, vt ex Instrumento rogato per N. Notarium die . . . mensis . . . Anni . . .

De animalibus in societatem datis, hoc modo.

P Rædicta Ecclesia, seu Rector ius habet societatis cum N. pro pecoribus, porcis, seu alijs animalibus. Et exprimatnr numerus. Et quolibet anno redditus esse potest tot numerorum.

De Decimis colligendis, vel notentur ij omnes, qui soluere solent; vel saltem earum quantitas exprimatnr: hoc modo.

P Rædicta Ecclesia in decimis annum habet redditum modiorum tot tritici, seu pecuniarum vsque ad summam circiter . . .

Et adnotetur, si vsurpentur ab alijs decima: item, si primitiæ sint, non decima. Addatur: Quæ Decimæ, seu primitiæ soluuntur pro consuetudine loci hoc pacto: videlicet; & ordine scribatur modus soluendi.

Denique fiat summa omnium fructuum Rectoris: his verbis.

P Rædictæ Ecclesiæ, seu Rectoris annuus proventus ascendere potest ad summam scutorum ex prædijs, domibus, censibus, & Decimis, &c.

Vicarij perpetui eadem præsentent singillatim, qua supra, circa portionem prædiorum, aut reddituum eisdem assignatorum, adnotantes Instrumenta, seu litteras Apostolicas super hac re expeditas, mentione facta diei, mensis, & anni.

Eadem quoque exequantur Capellani anno ni- Barth. Gan. Pars Secunda,

biles, & exprimant salarium, mercedemue annuam, tritici, vini, olei, pecuniarum, &c. indicato Instrumento & Notario, & a quibus ea sibi dari debeant, quando, & qua ratione.

Si vero annuus redditus non sufficiat, & ideo suppleatur aliunde, contribuentibus incolis loci, dicatur hoc modo.

P Rædicta Ecclesia pro alimentis Rectoris habet ius colligendi, quæ illi sunt necessaria, contribuentibus loci incolis hac ratione &c. prout apparet ex Instrumento rogato per N. Notarium die &c. Vel (si nullū adest instrumentum) ex legitima consuetudine loci.

Notentur etiam legata pia cum suis oneribus districtè: videlicet.

P Rædicta Ecclesia iure legati exigit quantum à N. hærede N. tot aureos nummos vigore testamenti N. & tenetur Rector celebrare tot Missas, seu anniuersarium die . . .

Si Ecclesia grauetur pensione, eadem adnotetur, indicata quantitate, & facultate Apostolica, quando, & cui soluatur.

Si qua bona vsurpata fuerit: dicatur.

P Rædicta Ecclesia præten dit habere ius ad quoddam prædium vsurpatum. ab N. in loco cuius fines sunt &c. sicut asserunt N. & N. eiusdem loci, quibus videtur adhibenda fides.

Si alienata sint absque dispensatione Apostolica, dicatur: item.

P Rædicta Ecclesia læsa videtur in concessione prædij, seu permutatione, seu alio contractu, sine facultate Apostolica.

Si pendeant lites, dicatur. qua de re, quocumque causa pro Ecclesia sint, & qui sit Iudex, & Notarius.

Forma subscriptionum, de quibus supra.

E Go N. Rector supradictæ Ecclesiæ S. N. confeci prædictum Inuentarium omnium rerum, & bonorum suprascriptorum, quæ nunc temporis possideo, & pro fide, & veritate subscripsi manu mea propria, die . . . mensis Anni & ita Iuro &c.

P ; Pro

Pro Syndicis, & Officialibus locorum.

EGO N. Syndicus, seu officialis loci N. præfens fui, dum factum fuit Inuentarium rerum, & bonorum prædictorum, quorum ego notitiam habui, & (si sciant possideri à Rectore omnia) scio, ea possideri nunc à Rectore, & in horum fidem subscripsi manu mea propria, & ita iuro &c.

Pro ijs, qui aliorum vice subscribunt.

EGO N. de mandato N. qui dixit, se affuisse prædicto Inuentario, dum fieret, rerum & bonorum prædictorum, quorum ipse asseruit, & iuravit, se habere plenam notitiam, cum ipse idem scribere ne sciat, eius nomine subscripsi manu mea propria die . . . mensis . . . Anni . . . & ita iuro &c.

F I N I S.